



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber I. De Infinitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

DE  
PERFECTIONIBVS  
MORIBVSQVE  
DIVINIS  
LIBER PRIMVS  
DE INFINITATE DEI.

CAPVT PRIMVM

*Quid sit infinitum, & quomodo Deus conueniat.*



**D**icitur infinitum, est aliquid dici *infini-*  
*um*. Primo, limitatione entis; Secundo,  
in certo genere. Quod priore modo *infi-*  
*nitum* est, absolute & omnibus modis in-  
finitum est: quia totam entis amplitudi-  
nem, quae in infinitum & sine termino  
excurrit, in se continet, & se exaequat:  
adeo vt nulla species, nulla perfectio in  
tota eius amplitudine concipi possit, quae

*Dupliciter  
dicitur ali-  
quid infini-  
tum.  
Infinitum  
absolute.*

in illo vel formaliter vel eminenter non contineatur. Quod ve-  
ro in certo genere *infinitum* dicitur, tria requirit. Primo, vt forma-  
liter vel eminenter contineatur omnem perfectionem, distinctio-  
nem & mensuram possibilem vel imaginabilem in illo genere. Sec-  
undo, vt series illarum perfectionum excurrat crescendo sine ter-  
mino. Tercio, vt in illa interminabili serie non possit assignari ali-

*Infinitum in  
certo genere  
tria requirit*

A. quid



quid determinatum, quod non infinite superetur ab eo quod dicitur infinitum, ut sapientia infinita continet omnes sapientiae species, gradus, mensuras & distinctiones, quae suat vel possunt esse, vel animo concipi, (quae etiam sine termino excurrunt, siue intensiorem, siue extensionem consideres) & extendit se ad omnia intelligibilia, simplicia & complexa, existentia & non existentia, praesentia, praesentia, & futura. Pulchritudo infinita continet omnes species & gradus pulchritudinis, tam corporalis quam spiritualis, existentes & non existentes, passibiles & imaginabiles, qui etiam sine termino excurrunt. Idem dicendum de infinita magnitudine, duratione, intensiōe & multitudine. Infinita enim magnitudo continet in se omnes species & mensuras magnitudinum conceptibiles, quae sine termino excurrunt: quia nulla tam magna concipi potest, quin possit dari maior. Infinita duratio continet omnes mensuras durationum sine termino excurrentes & crescentes. Infinita graduum intensio continet omnem mensuram perfectionis gradualis imaginabilem intra illam speciem: ut si esset lux infinita, contineret lucem 10. graduum, & lucem 100. graduum, & 1000. graduum, & centum millium, & sic ulterius sine termino. Et multitudo infinita continet omnes numerorum species sine fine excurrentes & crescentes. Porro omnia quae in infinito continentur, sicut res positivae, determinatae, & limitatae, sed sine termino semper maiores & maiores, etiamsi maximis augmentis procedas singula augendo in millicuplum, vel per quadratam & cubicam rationem: neque unquam poterit deveniri ad aliquid tam magnum, quod non infinite excedatur. Ipsum verò quod *infinitum* dicitur, non semper est quid positivum.

*Infinitum positivum.*

Vnde rursus duplex *infinitum* distinguendum. Aliud enim est infinitum positivum, aliud negativum. *Positivum infinitum* est aliquid unum & determinatum, & in modum rei unius singularis & determinatae conceptibile, sed adeo perfectum, ut infinita in se eminenter contineat, quorum nullum illi unquam poterit exaequari, etiamsi sine fine in suo genere crescat, sicut de sapientia & pulchritudine infinite explicatum est. Tale etiam infinitum est meritum Christi, quia in ratione meriti adeo est magnum & perfectum, ut determinatas meritorum mensuras sine numero excurrentes & crescentes contineat, nullaque possit adeo magna meritorum mensura fingi in aliqua pura creatura, quin infinite à Christi merito vincatur. Nullum etiam adeo magnum praemium quin illi par esse queat.

*Meritum Christi infinitum.*



queat. Ad quod bene apprehendendum applicari potest multiplicatio graduum secundum species numerorum, vt supra ostensum.

*Infinium negativum* non est per se res aliqua positiva & determinata, sed est multitudo rerum determinatarum, sine termino & statu excurrentium & crescentium, siue in magnitudine, siue in duratione, siue in perfectione intensiua, siue in extensione obiectiua, siue in quavis alia rerum multitudine. Neutra ratio infiniti locum habet in rebus creatis. *Infinium enim negativum*, cum non habeat rationem rei vnius, & formaliter non sit quid posituum & determinatum, non potest esse terminus creationis, quæ cum sit actio positiva & determinata, ad aliquid posituum & determinatum tendere debet, neque aliud mente concipi potest. *Infinium positivum* (de reali & physica loquor) est Deo proprium, ratione eminentissimæ perfectionis, per quam infinitas perfectiones continere ac producere potest. quod quo modo intelligendum, amplius explicabitur lib. v. De omnipotentia. Dixi esse multitudinem rerum determinatarum, quia infinitum quod cernitur in partibus continui, non est proprie infinitum, cum non constet partibus determinatæ quantitatis in infinitum excurrentibus, sed finitis. Est tamen quoddam genus infiniti, quod *comparatiuum infinitum* vocare possumus, quod etiam suo modo est infinitum positivum: quia est res vnica ita perfecta, vt æquiualeat & melior sit infinitis rebus inferioris ordinis. Sic homo infinite melior est bestia: quia etiam si essent infinite bestie, imò infinite bestiarum species; tamen vnus homo melior & dignior esset omnibus illis simul sumptis. Simili modo bestia melior est infinitis plantarum speciebus. Sic etiam peccatum mortiferum est infinite peius peccato veniali: quia venialia quantumuis multa non possunt exæquare malitiam peccati mortiferi.

3 His positis, dicimus Deum esse absolute infinitum, quia Scriptura diuina tribuit ipsi absolutam infinitatem. Psal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* & Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & impensus.* Denique eadem infinitas insinuat, vbi cumque Scriptura extollit ipsius *magnitudinem*, vel immensitatem, hæc enim loca intelligenda sunt de infinitate absoluta quoad omnia, & non tantum in certo genere: nimirum illum ita esse magnum in maiestate, potentia, sapientia, omni que perfectione, vt nihil maius cogitari possit, etiam si quis sine fine maiora & maiora animo concipiat. Si enim aliquid maius



cogitari posset, iam respectu illius non magnus esset Deus, sed parvus. Unde non esset absolute nec perfectissime magnus, ut Scriptura intendit, sed solum respectu aliquorum: neque verum esset, quod eius magnitudinis non sit finis. Porro *magnum* in Scriptura cum Deo tribuitur, non solum significat magnitudinem extensionis per omnia spatia, sed cuiuslibet perfectionis, ut sapientia, potentia, maiestatis, naturae, &c. Nam in omnibus quoad omnia Deus magnus est & immensus. Unde ad unam vel alteram perfectionem restringi non potest: praesertim cum omnia quae Deo tribuuntur, ut *θεοζην* & *καρποζην* accipienda sint, ut passim S. Dionysius docet. Praeterea eadem veritas insinuat in Scripturis, ubi cum Deus dicitur *omnipotens*. Si enim omnia potest, omnia in ipso continentur, omnisque rerum perfectio in ipso praexistit. Omnis enim perfectio effectuum praexistit in causa, vel formaliter, vel eminenter. Si omnis rerum perfectio in ipsius potentia continetur, etiam continetur in essentia, cum potentia non distinguatur ab essentia. Ipsa enim essentia, quatenus est productiva rerum, dicitur potentia non solum in Deo, sed etiam in rebus creatis: & quamvis nostro modo concipiendi ponatur distinctum attributum, hoc non refert, quia concipitur ut quodammodo manans ab essentia, & ita tota eius vis est ex essentia.

Neque solum ex infinitate potentiae recte colligimus absolutam infinitatem essentiae, sed etiam ex infinitate cuiuslibet attributi. Sapientia enim, iustitia, misericordia infinita non est accommodata vel commensurata nisi essentiae infinitae. Debet enim esse proportio inter essentiam & attributa, siue inter haec sit aliqua distinctio formalis, ut quidam volunt, siue non sit, ut infra ostendetur. Pari modo ex essentiae infinitate optime colligimus infinitatem attributorum, quia essentiae infinitae non respondent, neque commensurata sunt attributa perfectionis finitae. Ut omittam quod attributa nostro modo concipiendi manent ab essentia, vel potius per ipsam simplicem essentiae ratione Deo competant. Denique eadem infinitudo insinuat Exodi 3. ubi Dominus Moyse roganti nomen Dei respondit: *Ego sum qui sum*. vel ut LXX. vertunt, *Eγώ εις ος ειμι, Ego sum qui est*. Et paulo post: Sic dices ad eos: *O' dō, Qui est misit me ad vos*. Hic Deus vocat se, *qui est*, tum quia sempiternus est, tum quia in ipso est plenitudo essendi, & ab ipso omne esse descendit, quasi dicat: *Ego sum is qui numquam incepit, numquam desinet, numquam mutabitur, sed sempiternus & immutabiliter est, & omne esse plenissime*

me

Magnum  
cum Deo tri-  
buitur quia  
denotet.

Cap. I. 2. 5.  
De divinis  
nominibus.

Resum. Phil. 1.

Resum. 2.



mè continet & præhabet; & à quo omne esse descendit: vt exponit Dionysius De diuinis nominibus cap. 5.

5 Infinitudo itaque diuinæ essentiæ, est omnis perfectionis & entitatis simplicissima & eminentissima complexio. Quid infinitudo. Dico *omnis perfectionis*, non solum increatæ, sed etiam creatæ. Quidquid enim est bonitatis, pulchritudinis, perfectionis, entitatis in creaturis, id totum multò perfectiùs & copiosiùs continetur in Deo. Vnde merito D. Gregorius Orat. in Natalitia de Deo loquens ait: Ὅλον ἡδὲ ἐν ἑαυτῷ συλλαβῶν ἐχθὲ τὸ εἶναι, μήτε ἀρχαίμων, μήτε παυσόδιμον, οἷόν τι πέλαγος ἐστὶν ἀσφρόντε καὶ ἀβεβύον. *Vniuersum esse in seipso nunquam inceptum, nunquam destitutum, complexus continet, tanquam infinitum quoddam & interminatum essentiæ pelagus.* Optimè pelagus essentiæ, quia infinita essentialium, specierum, & perfectionum multitudo & varietas ibi reperitur, & eminentissimè continetur. Ob eandem causam à veteribus Philosophis vocatus est Deus τὸ πᾶν, id est, *vniuersum*, vt docet Eugubinus De perenni philosophia lib. 3. c. 8. quia vniuersa quæ aliquo modo esse participant, complectitur. Et in oraculo illo, *Magnus Pan mortuus est* (cuius meminit Plutarchus in lib. de Oraculorum defectu) Christus vocatur *magnus Pan*; vt quidam volunt, quia est omnium Dominus, & omnia in se continet: et si alij aliter illud intelligant. Eòdem iuxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moyse Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*, nimirum quia in Deo sunt omnia. Pulchre in hanc sententiam Gregorius Nazianzenus in quodam carmine:

Σοὶ ἐνὶ πάντε μένει, σοὶ δ' ἀθροῦ πάντα δοῦλε.

Σὺ πάντων τέλος ἔσσι, καὶ εἰς, καὶ πάντα, καὶ ἄδην,

Ὅυχ' ἐν ἑῶν, ἢ πάντα κρατῶν με τί σε καλέσω

Τὸν μόνον ἀλλήλων;

*In te omnia permanent, ad te confertim festinant omnia.*

*Tu omnium finis, tu vnus, & omnia, & nihil rerum,*

*Cum neque vnus sis, neque omnia, quem te appellem,*

*Qui solus innominabilis, & omninomius?*

Dicitur esse *omnia*, qui omnia in ipso continentur, ita vt sit omnia formaliter vel eminenter. Dicitur esse *nihil rerum*, quia est supra omnia quæ à nobis concipi possunt. Simili modo dicitur *innominabilis*, & *omninomius*. et si enim plurimis nominibus appelleretur, vt à nobis aliquo modo concipi possit, nullum tamen nomen nullaque conceptio nostra illum exprimere potest prout est in seipso.

6 *Simplicissima complexio.* Non enim sicut mundus complectitur omnem



Simplicitas  
diuina essen-  
tia.

Deum per  
simplex-  
simam essen-  
tiam esse  
omnia.

omnem perfectionem rerum creaturarum per diuersas sui particulas  
 & formas: ita Deus per aliquam diuersitatem formarum vel par-  
 tium continet omnia, sed per vnā simplicissimam rationem suā  
 Deitatis, per quam est omnia formaliter vel eminenter. Nam per  
 rationem suā Deitatis non solum est Deus; sed etiam est omnipo-  
 tentia, bonitas, sanctitas, iustitia, misericordia; aīnitas, aterni-  
 tas. Deinde per eandem continet omne bonum Angelorum &  
 hominum, & totius creaturæ non solum existentis sed etiam possi-  
 bilis. Plurimis id locis tradit S. Dionysius Areop. nam lib. De di-  
 uinis nom. c. 5. ita scribit: Καὶ ὁ Θεὸς ἕως ἔσθ' ὧν, ἀλλ' ἀπλῶς & ἀπ-  
 ροεισως ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνεκδηφῶς καὶ ἀπροειληφῶς. Deus non  
 quouis modo est ens, sed simpliciter & incircumscripte, totū esse in se pa-  
 riter cōplexus & anticipans. Anticipans, Græcè ἀποφληφῶς, quia prius-  
 quam haberent esse in seipsis, habebant esse in Deo. Et cap. 3. Εἰ δὲ  
 (λέγεται) ὅτι πάντα ἐν ἑαυτῷ ἔστι καὶ μιᾶς ἐνότητος ἀπροζυλῶ. Vnum dicitur,  
 quia est omnia vnice (seu simplici modo) secundum excellentiā vnus  
 vnitatis, id est, est omnia per eminentissimam vnitatem & simpli-  
 citatem suā essentia. & infra: Εἰς ἡμῶν ἐν ἑαυτῷ σιωπῆται, & ἀφώοται  
 & ἀόρατος ἀπροσίως. In qua (vnitate diuina) omnia vnice sunt con-  
 iuncta, superunita, & præexistentia superessentialiter. Quibus ver-  
 bis excluditur omnis distinctio actu non solum realis, sed etiam  
 formalis vel modalis inter essentiam & attributa diuina, & ipso-  
 rum attributorum inter se. Si enim per vnā eminentissimē sim-  
 plicem vnitatem seu formam Deus est omnia, & omnia in illa sim-  
 plici vnitate sunt eminentissimē coniuncta, vel potius vnum idem-  
 que; nulla est ibi formarum aut rationum formalium distinctio,  
 nulla diuersitas inter rationem formalem quā Deus est, & quā sa-  
 piens est; siue quā Deitas, & quā sapientia est. Longè perfectius est  
 & sublimius, omnia illa per vnā simplicissimam essentia ratio-  
 nem habere & esse, quā per diuersas vel qualitates, vel formas,  
 vel modos, qui essentiam veluti afficiant & modificent.

Idem aperte docet S. Augustinus lib. 6. De Trinit. cap. 7. Deus  
 multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, &  
 quidquid aliud, non indigne dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est,  
 quæ sapientia (non enim mole magnus sed virtute) & eadem bonitas  
 quæ sapientia & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia; & non est  
 ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut  
 bonum esse, aut omnino ipsum esse. At si esset aliqua inter illa distin-  
 ctio, essentq; diuersæ rationes formales ex parte rei distinctæ, aliud  
 esset

Idem aperte docet S. Augustinus lib. 6. De Trinit. cap. 7.



effert ibi esse beatum, esse magnum, esse sapientem: sicut aliud in nobis est esse longum, figuratum, rectum, curuum, quæ non distinguuntur nisi formaliter. Idem eodem lib. & aliis locis sæpè repetit. S. Anselmus in Monologio c. 15. demonstrat omnia illa quæ Diuinitati tribuuntur, significare non qualitatem, vel modum, sed substantiam eius, & ipsam esse omnia illa summo modo: *Quidquid igitur, inquit, eorum de illa dicatur, non qualis vel quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palàm est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa aternitas, summa potestas, summa vnitas.* Et cap. 16. demonstrat quòd Deus sit hæc omnia per vnã simplicem rationem & considerationem: *Cum igitur illa natura nullo modo composita sit, & tamen omnimodo tot illa bona sit, necesse est vt omnia illa non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula: vt cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat quod alia vel omnia simul, vel singula. Omnia itaque attributa sunt in Deo vna simplicissima ratio: & quodlibet vt est in Deo, essentialiter continet aliud, & omnia simul, & ipsa essentia intimè & formaliter includitur in ratione singulorum.* Explicat id exemplo à contrario: *Secundum aliud, inquit, homo est corpus, & secundum aliud est rationale, & singulum horum non est totum quod homo. Illa vero summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum aut considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est, &c.* Itaque per idem formaliter est sapientia, per quod est iustitia, & per idem est iustitia, per quod misericordia: & quodlibet horum essentialiter est totum quod Deitas, & omnia quæ Deitas. Idem docet præclare D. Bernardus Serm. 80. in Cantica: *Sola summa & increata natura, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vendicat meram singularem, suæ essentie simplicitatem, vt non aliud & aliud, non sibi & alibi, sed ne modo quidem & modo inueniatur in ea, nempe in seipso manens, quod habet est, & quod est, semper & vno modo est. in ea & multa in vnum, & diuersa in idem rediguntur, vt nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de variatione sentiat.* Et infra: *Iam de magnitudine, bonitate, iustitia, sapientiâ, idem per omnia quod de Diuinitate sentimus, vnum in Deo sunt & cum Deo. Nec enim aliunde bonus,*  
*quàm*



quàm unde magnus: nec aliunde iustus aut sapiens, quàm unde magnus & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm unde Deus; & hæc quoque non nisi seipso. Hic Bernardus per simplicissimam essentiam, quæ Deus & Deitas est, ista omnia competere asserit. Vide eundem lib. 5. De consideratione, paulò ante medium.

Probat  
ratione.

Idem ipsa quoque ratio conuincit. Nam longè perfectius & eminentius est, per vnam simplicissimam & illimitatam formam omnia ista habere, quàm per formas seu rationes diuersas, & quodam modò limitatas, vt optimè docet B. Bernardus Serm. illo 80. sub finem, estque per se euidens. at si esset aliqua distinctio in Deo inter attributa & essentiã, Deus non haberet omnia ista per vnam simplicissimam rationem formalem, sed per diuersas, & in ratione entis limitatas. Per aliam enim esset Deus, per aliam sapiens, per aliam iustus, &c.

Deinde si est aliqua distinctio actualis inter attributa & essentiam, quomodo non est ibi vera compositio? quomodo Deus non erit compositum quiddam ex multis distinctis & limitatis rationibus vel formis? Nec refert, quòd inter illa non sit magna distinctio: Quando enim plura ad vnius integritatem constituendam concurrunt, ad compositionem sufficit quæuis illorum distinctio. Si enim est magna distinctio, efficiet vt magna sit compositio; si parua, efficiet vt compositio quoque sit parua, non tamen efficiet quin sit vera compositio repugnans simplicitati. Quid enim aliud est esse simplex, quàm nullo modo compositum ex rebus distinctis? Sic inter quantitatem & figuram, inter animam & animationem, inter formam & informationem est compositio, etsi minima sit, & solùm formalis distinctio. Cur non similiter inter diuinam essentiam & sapientiam, si inter illa est formalis distinctio: In rebus enim creatis, omnis distinctio actualis, vel est realis propriè, qualis est inter rem & rem, vel est modalis, qualis est inter rem & rei modum, vt optimè ostendit Suarez in sua Metaphysica: & vtraque sufficiens est ad veram compositionem. Cur non similiter in Deo sufficiens erit? Vt enim minima sit illa distinctio, erit tamen modalis, & attributa essentiam veluti modi quidam & determinationes illius efficiend.

Suarez dif.  
p. 67.

Tertiò, Si essentia diuina distinguitur formaliter à sapientia & ceteris attributis; ergo ipsa per se ipsam non est sapientia aut sapiens, sed per aliquid superadditum: imò nec sapientia erit. Nam rationes formaliter distinctæ de se mutuo in abstracto non dicuntur.



tur. Quantitas enim non est sua figura, nec anima est sua animatio, nec accidens sua inhaerentia. Nec ergo Deitas erit sua sapientia, saltem proprie & formaliter. Itaque haec locutio, Deus est sapientia, Deus est misericordia, exponenda erit per concretum, Deus est sapiens, Deus est misericors: quod detestatur D. Bernardus Serm. illo 80. in fine: vbi contra Gilbertum Porretanum ostendit, illas locutiones in abstracto esse propriissimas; & concreta potius esse exponenda per abstracta, quam abstracta per concreta.

Quarto, Denique posita distinctione, non potest concipi quomodo non sit ibi vera productio, qua ab essentia emicent & pullulent veluti quaedam illius proprietates & modi resultantes. Non enim ab extrinseco proueniunt, sed ab intrinseco, & ab ipsa essentia, in qua tamquam in radice continentur. Itaque cum ab hac dependeant, & ab ea verè & proprie distinguantur, cur non dicentur proprie ab essentia produci, & ab ea oriri? at hoc nefas est dicere, cum nihil ibi praeter Filium & Spiritum sanctum sit productum. Omitto alia, quae aduersus hanc imaginationem eminentissimae illi simplicitati indignam adferri possent.

9 Nec obstat quod diuina essentia & attributa, vt à nobis concipiuntur, nostrisque conceptibus obiciuntur, ratione formali distingui videantur: id enim ipsorum simplicitati & perfectissimae unitati minimè officit. Ratio est, quia id non prouenit ex eo quod inter illa sit aliqua in re distinctio vel diuersitas; sed ex mentis nostrae imbecillitate, quae diuina concipere non potest prout in seipsis & in sua celsitudine existunt, seu secundum altissimum modum & simplicitatem quam ex parte rei habent, sed solum ex analogia ad res creatas, quatenus per eas aliquo modo representari & adumbrari possunt. In rebus autem creatis, essentia distinguitur à suis perfectionibus quibus ornatur; & ipsae perfectiones inter se distinctae sunt. Hinc fit vt essentia diuina concipiatur à nobis tamquam distincta à sapientia, bonitate, iustitia, misericordia, ceterisque attributis: & haec ipsa attributa concipiuntur tamquam distincta inter se: cum tamen ibi nulla sit distinctio aut varietas, sed summa simplicitas. Nam Deus per simplicissimam suam essentiam formaliter est sapiens, bonus, iustus, misericors; atque adeo ipsa sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, &c. Quatenus enim essentia diuina in Deo praestat id quod in rebus creatis praestat sapientia, siue in actu primo, siue in actu secundo, dicitur sapientia: vt verò eadem praestat id quod in nobis misericordia, iustitia, sanctitas, dicitur mi-

*Cur diuina  
perfectiones  
concipiuntur  
vt distincta.*



sericordia, iustitia, sanctitas, &c. Quod enim diuersæ perfectiones formaliter præstant in rebus creatis, idem in Deo præstat formaliter vna simplicissima essentia; sed modo eminentissimo & illimitato.

Ex quibus patet, etsi illæ perfectiones, quæ à nobis vt distinctæ & limitatæ concipiuntur, verè sint in Deo; in ipso tamen non esse vllò modo ex parte rei distinctas actû, aut limitatas in ratione entis, nec habere illum modum essendi in Deo, quo nostris conceptibus obiciuntur: nec etiâ esse similes vllò modo vt sunt in Deo, & vt à nobis concipiuntur; ac proinde ex conceptuum distinctione non posse inferri distinctionem obiectorum ex parte rei.

Neque in rebus diuinis tantum locum habet, vt ea quæ in re non distinguuntur, in conceptu sint distincta; sed etiam passim in rebus creatis. Gradus enim superiores & inferiores non distinguuntur actû ex parte rei, iuxta veriore sententiam, cum etiam in rebus simplicissimis, vt in Angelo, anima, & similibus reperiuntur: sed sunt vna eademque natura considerata, vt cum pluribus vel paucioribus similitudinem habet, vel vt principium diuersarum proprietatum, quæ in pluribus vel paucioribus reperiuntur. Sic enim natura Petri consideretur vt est res vna demonstrabilis, & ad omnibus aliis distincta, constituit gradum indiuidui: si vt similis naturæ quæ in alijs hominibus, seu vt principium vtendi certo modo ratione (quod solis & omnibus hominibus competit) sic constituit gradum specificum naturæ humanæ: si vt principium sentiendi (quod commune omnibus animantibus) constituit gradum animalis: si vt principium functionum animæ vegetantis (quæ communes animalibus & plantis) constituunt gradum viuentis: si vt similis alijs rebus corporeis, gradum corporis: si vt res per se existens, sicut omnes aliæ substantiæ, gradum substantiæ. Itaque vna eademque natura quamuis simplicissima, vario modo inadæquatè concepta & considerata, diuersos gradus constituere potest, qui solum nostris conceptibus distinguuntur. Simili modo cum vna eademque res diuersi generis effectus vel actus habet (sicut accidit in anima) concipimus in illa diuersas potencias: cum tamen valdè verisimile sit ipsam simplicem rei essentiam posse illos effectus vel actus producere.

Denique si ex diuersitate conceptuum sequeretur subesse distinctionem formalem obiectorum ex parte rei: non solum attributa diuina inter se distincta forent, sed etiam gradus superiores & inferiores, qui in singulis attributis concipiuntur. Item omnes re-



rum notiones vel ideæ, & omnia iudicia de omnibus rebus futuris, & omnes actus liberi. Hæc omnia inter se formalem distinctionem haberent, & ita in Deo essent res infinitæ formaliter inter se distinctæ. Nec vlla creatura esset tam multiplex & varia, quàm fit ipse Deus; quod est absurdum. Longè enim eminentius Deo quæ dignius est, vt ipse per simplicem suam essentiam omnia illa sit, possit, & habeat, quæ creatura per distinctas perfectiones & actus.

## CAPVT II.

*Deum ratione sua infinitatis esse incomprehensibilem.*

- 12 **C**ONSIDERANDVM est, Deum quatuor modis dici incomprehensibilem, *loco, tempore, intelligentia, & amore.* *Loco*; quia nullus locus, nullum spatium tam magnum cogitari potest, quin Deus illud excedat, & extra reperiatur. *Tempore*; quia excedit omnia tempora, vt pote ante omnia tempora quæ mente concipi possunt, & omnibus temporibus in futurum posterior. *Intelligentia*; quia nullus intellectus creatus ipsum potest comprehendere, sic vt nihil Dei illum lateat. *Amore*; quia omnem amorem excedit, ita vt nulla mens creata illum pro dignitate amare possit. Omnes hi modi incomprehensibilitatis sequuntur ex eius infinitate: sed nos hęc potissimum agimus de tertio, quo Deus dicitur *incomprehensibilis* omni intellectui creato. Hoc modo Dionysius & Damascenus Deum dicunt esse ἀγτάληπτος, ἀείληπτος, ἀεργόετος.
- 13 **D**ico, *omni intellectui creato.* Nam suo intellectui Deus non est incomprehensibilis, sed perfectè (vt sic loquar) comprehensibilis. Totam enim profunditatem & immentitatem diuinæ essentiæ exhaurit diuinus intellectus, eique se exæquat, & eam intra se concludit. Nam infinitum infinito non est infinitum, sed quasi finitum. Quod alta mente intellexit S. Augustinus cum ait: *Quapropter si quidquid comprehenditur, scientis comprehensione finitur: profectò omnis infinitas quodam ineffabili modo finita est; quia scientiæ ipsius comprehensibilis ratio est.*

*Deus quatuor modis incomprehensibilis.*

*Deus sibi est comprehensibilis.*

Augustinus lib. 12. De ciuit. c. 10.

Porro Deum menti creatæ incomprehensibilem esse, multis locis docet Scriptura: vt cum dicit, illum *incomprehensibilem cogitatu.* & *incomprehensibilia esse iudicia eius.* & *ipsum lucem inhabitare inaccessibilem.* Idem plurimis locis docet Dionysius, & maxime lib. De mystica Theologia: vbi totus est in eo, vt ostendat Deum esse infi-

Jerem. 32.  
Rom. 11.  
1. 2. Tim. 6.



nitè eleuatum supra omnem essentiam, & supra omnem intellectum & cognitionem, omnesque cognitionis terminos, & supra omne id quod à creatura comprehendi potest: idque *scilicet* *in* *capitulo* *de* *trinitate*, propter suam *superefficientem infinitatem*. sic enim loquitur lib. De diuinis nominibus cap. 1. Idem docet S. Chrysostomus lib. De incomprehensibili natura Dei, & Damascenus lib. 1. De fide cap. 2. & alij omnes Patres & Theologi. Pulchrè Cyprianus libro, Quod idola non sunt dij: *Mundi vnus est Rector, qui vniuersa que sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior: nec comprehendi, tactu purior est: nec aestimari, sensu maior est: & ideo sic eum dignè estimamus, dum inestimabilem dicimus.* Vbi etiam loquatur de comprehensione corporali, cum ait, *tactu purior est*; tamen cum dicit *inestimabilem*, significat incomprehensibilem intellectu & quauis facultate spiritali.

Cur Deus  
comprehendi  
nequeat.

Ratio est, quia vt Deus dicatur comprehendi, seu comprehensiuè videri, necesse est vt tam perfectè videatur, quàm visibilis est, adeò vt perfectio visionis exæquet perfectionem rei visæ, sic vt Deus non excedat visionem quasi maior, sed intra illam totus claudatur, & respectu illius non sit infinitus, sed quasi finitus; vt supra ex Augustino ostensum. Hoc autem fieri non potest, nisi visio illa sit absolute infinita, sicut Deus est absolute infinitus. Atqui creatus intellectus cum sit limitatus, non est capax visionis infinitæ. Ergo nullo modo potest Deum comprehendere. Confirmatur. Quia cum Deus sit infinite visibilis (id est numquam lumine finito tam perfectè videri possit, quin possit perfectius, & vt ita dicam, profundius ac penitius) opus est lumine infinito, vt videatur quantum visibilis est, & visio adæquetur obiecto. Atqui creatus intellectus non est capax luminis infiniti, nec tale lumen creatum possibile. Idem suadetur hoc modo. Deus est infinite eleuatus super omnem naturam creatam, etiam intellectualem: ac proinde nec videri quidem simpliciter potest, vt est in seipso, nisi intellectus per lumen quoddam ordinis diuini (quod lumen gloriæ vocatur) infinite eleuetur. *Infinite* dico: quia per lumen ordinis naturalis, quantumuis magnum, numquam ad illam celsitudinem poterit pertingere. Hac eleuatione posita per lumen gloriæ, videbitur quidem Deus vtrumque clarè, non tamen poterit comprehendi: quia cum vterius per omnia sit infinitus, est etiam infinite, vt ita dicam, penetrabilis. Non enim solum est infinite supra omnia eleuatus, sed etiam in sua illa altitudine & eleuatione stabiliter fixus permanens,

14



nens, est (vt ita dicam) infinite profundus, & infinite latus. Infinite profundus, quatenus eius perfectio est veluti intensiue infinita: infinite latus, quatenus ex vi perfectionis intensiue se extendit ad infinitam entis latitudinem. Itaque vt perfecte tota vis eius penetretur, debet ita cognosci vt ad infinita se extendit, sic vt ex vi illius cognitionis distincto, perfecte, & simul, videantur omnes ipsius conceptiones, omnia consilia, omnia decreta, & omnia quae ipse potest facere, vel decernere, vel permittere, vel impedire. Quae cum infinitis infinita sint, & in infinito profundo lateant: non possunt quouis lumine gloriae videri, cum hoc ad simplicem Dei visionem necessarium sit: sed vel requiritur lumen gloriae infinitum, quod neque esse potest, neque a subiecto creato suscipi: vel certe requiritur lumen altioris ordinis, quam sit lumen gloriae, quale etiam dari non potest, cum lumen gloriae sit ordinis diuini ac plane supremi. Perspicuum est ergo, Deum a nulla creatura comprehensiue cognosci posse, & omnem visionem Beatorum, etiam si clara sit, infinite ab ipsius comprehensione vinci & distare.

15 Quam infinitam distantiam inter simplicem visionem & comprehensionem considerantes multi Patres, insinuant, Deum, vti in se est, a creatura, imò nec ab Angelis beatis videri posse: nimirum plene, perfecte, comprehensiue. Omnis enim visio Dei, etiam Angelica est imperfecta, & quasi per similitudinem respectu comprehensionis, quae sola est completa Dei visio. Non enim ignorare poterant sancti Patres Ecclesiae lumina doctrinam Catholicam clare in Scripturis expressam, nos in futura vita Deum visuros clare sicuti est, *facie ad faciem, non ex parte, non in enigmate, sed sicut ab ipso cogniti sumus, & sicut ipse est.*

Chryso-  
stomus.  
Theodore-  
tus.  
Basilus.  
Eusebius.  
Ambrosius.  
Hieronymus  
Gregorius  
Nyssenus.  
Mat. 5. & 18.  
1. Cor. 13.  
1. Ioan. 3.

## CAPVT III.

*Ratione eiusdem infinitatis omnia de Deo affirmari  
quodam modo & negari.*

16 **R**URSUS ex vi huius eminentis complexionis proficere vt omnia de Deo affirmantur, & omnia rursus quadam ratione negentur, tradunt Theologi, & in primis S. Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 1. & 13. & lib. Mysticae Theol. cap. 4. & 5. & alibi saepe. *Affirmantur*, quia omnia sunt in ipso formaliter vel eminenter. Hinc dicitur potentia, sapientia, bonitas, veritas, lux, sanctitas,

Quomodo  
omnia de  
Deo affir-  
mantur.



iustitia, misericordia, beatitudo, vita omnium uiuentium, esse omnium existentium, omnium perfectio, pulchritudo, mensura, ratio, salus, conseruatio. Vnde D. Bernardus lib. De confid. *Quid est Deus? voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen aeternum, incommutabilis ratio, aeterna beatitudo.* Et infra: *Amat ut charitas, nouit ut veritas, iudicat ut equitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, reuelat ut lux, assistit ut pietas, &c.* & S. Anselmus in Monologio cap. 15. vide supra n. 7. Et quamuis plurima rerum nomina illi non tribuantur, ob imperfectionem quam inuoluunt, tamen omnes rerum species, & omnia indiuidua sunt in ipso eminenter secundum sua prototypa, & veluti primæua & aeterna semina, ex quorum vi pullularunt, atque adeo sunt in ipso intrinsecè, non quidem secundum suum esse formale & essentialiter, sed secundum esse suum eminentis & superessentialiter. Vnde ipse est omnia & singula eminenter & superessentialiter.

*Quomodo  
omnia negentur.*

Negantur de ipso omnia, quia ipse est supra omnem rationem, 17 & speciem creatæ menti conceptibilem. Sic Dionysius cap. ult. De myst. Theolog. dicit Deum esse *non substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, non Deitatem, sed quiddam his omnibus eminentius & præstantius.* Ratio est, quia omnia ista, quatenus menti creatæ sunt comprehensibilia & nominabilia, habent conceptus obiectiuos limitatos in ratione entis: *limitatos*, inquam, non ex parte rei quæ concipitur, sed ex parte modi concipiendi. Vnde ut sic concipiuntur, non includunt formaliter alias perfectiones. Ratio enim substantiæ ut à creatura concipitur, non includit rationem sapientiæ, aut ceteras perfectiones, nec contrà, sed quæque suum limitatum conceptum habet. Deus autem est ratio prorsus illimitata, vnde formaliter vel eminenter includit omnem perfectionem conceptibilem. Hanc rationem insinuat Dionys. De diuinis nominibus cap. 13. *Ὁ ὄντως ὄντων, ἢ τινὶ τῶν ὄντων συνειρησσομένην, ἐξ ἧς τὸν καθ' ἑαυτὴν ἔ λόγον ἢ τὸν κρυφίωτα τῶν καθ' ἑαυτὴν καθ' ἑαυτὴν καθ' ἑαυτὴν.* Nihil eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem & intellectum superans, superdeditatis superessentialiter supra omnia superexistens. Ex quo loco clarè probatur, Deum ut in se est, non posse videri per speciem creatam quæ illum obiectiuè repræsentet: quo modo videtur intelligendus S. Thomas 1. p. q. 12. art. 2. Notandus hîc mirabilis & plusquam huma-



humanus modus loquendi S. Dionysij, ad exprimendam suorum conceptuum sublimitatem, & eminentiam Diuinitatis insignitam supra omnia mente creata comprehensibilia. Simili modo idem Dionysius vocat sapē Deum *καρῶνος ἑσθῶν*, *essentiam superessentialem*, nimirū quia est essentia seu substantia eminentior omni essentia conceptibili à creaturā. Porro vocat illum *καρὰ γὰθον ἀγαθότητα, καὶ καρῶθειον θεότητα*, bonitatem & Diuinitatem omni bonitate & Deitate conceptibili eminentiorem. Simili modo exponenda sunt omnia nomina composita ex particula *καρ*, vt *καρὰ φῶτος, καρὰ ἀρχῆς, καρὰ τελείας*, &c. id est, *omni luce, omni principio, omni perfectione excellentior*. Illud enim *καρ*, & *super* in compositione designant excellentiam supra omnem modum intelligibilem menti creatæ apud Dionysium. Ob eandem causam lib. De diuin. nom. cap. 2. §. 1. vocat Deum *πάντων θεῶν ἡ ἀπάντων ἀφαίρεσις*, *omnium positionem, & omnium ablationem*, quia eminenter ponit omnia, tamquam omnia continens, & formaliter omnia aufert: quia ratio propria qua Deus est, excludit ab ipso omnem formalem rationem à creatura mente comprehensibilem.

*Via particulae καρ. super.*

- 18 Hinc patet, omnes perfectiones, quæ Deo tribuuntur absque Metaphora, dupliciter in ipso contineri, formaliter & eminenter. *Formaliter*, si spectentur secundum proprium conceptum, quo à Deo & à Beatis concipiuntur, qui est illimitatus in genere entis. *Eminenter*, si considerentur secundum conceptus proprios quos habent, vt à creaturis absque lumine gloriæ apprehenduntur, etsi enim res concepta sit propriè in Deo, non tamen cum eo modo & limitatione sub qua concipitur.

*Perfectiones dupliciter existunt in Deo.*

## CAP V T IV.

*Continere eminenter quid postulet.*

VT melius intelligatur quomodo Deus omnia eminenter contineat, & omnia in ipso existant & præexistant, explicandum est, quænam ad eminentem complexionem seu continentiam requirantur.

*Continere eminenter.*

- 19 In rebus creatis vt aliud in alio eminenter contineri dicatur, duo requiri videntur. Primum est, vt id quod continet sit præstantioris naturæ quàm id quod continetur. Si enim non est præstantius, non est ratio cur illud dicatur esse in eo eminentiori modo quàm in seipso.

ipso.



ipso. Vnde plantæ & animalia non dicuntur esse eminenter in femine, nec in causa sua vniuoca.

*Quatuor  
modis aliud  
in alio vt  
præstantiori  
continetur.  
Vt in causa.*

Alterum est, vt illud quod minus præstans est, aliquo modo in illo præstantiori reperiatur. Hoc autem fit potissimum quatuor modis. Primò, Si res per seipsam sit in alia tamquam in sua causa. Esse enim productiuum alterius, signum est, in eo id quod produci potest, contineri. Sic qualitates & accidentaria perfectiones continentur in substantiis eminenter, ex quibus promanant: & res inferiores in virtute cæloꝝ tamquam in causa vniuersali, radij in sole, folia in arbore.

Hic modus est perfectior, quò causa perfectiùs est productiua illius rei. Vnde cum Deus res omnes producere queat perfectissimo modo (nimirum vt causa integra, & independens ab alterius ope, & solo voluntatis suæ nutu) idque secundum naturam, formam, rationes indiuiduas, qualitates & modos omnes, consequens est, res omnes in ipso perfectissimè contineri.

*Vt cognitum  
in cognoscente.*

Secundò, Si sit in alia per sui quasdam similitudines. Sic omnia inferiora dicuntur contineri eminenter in intellectu, cum ea intelligit; quia sunt in ipso per suas notiones, quæ sunt expressæ species & imagines rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipsum intelligibile. Hoc modo Philosophi dicunt intellectum fieri omnia, & omnia in ipso existere. Ratione huius continentia intellectus est causa exemplaris rerum ab ipso foris productarum.

*Vt vis parti-  
cularis in  
vniuersali.*

Tertiò, Secundum vim agendi, vel extendendi se ad obiecta; vt cum quidquid potest causa inferior, potest causa superior nobiliori modo. Hoc modo sensus externi continentur in interno eminenter, & sensus internus in intellectu. Nam, intellectus percipit omnia quæ sensus interior, & nobiliori modo, & sensus interior quidquid sensus externi. Simili modo anima vegetatiua plantarum continetur in sensitiua animalium, & hæc in intellectiua, & prudentia instinctus animalium in prudentia humana.

*Vt media in  
causa finali.*

Quartò, Secundum ordinationem & æstimationem, seu secundum rationem, boni & appetibilis. Sic media sunt eminenter in causa finali: quia solum propter finem æstimantur, & ad illum ordinantur, & tota illorum bonitas ex fine pendet.

*In Deo sunt  
omnia qua-  
drupliciter.*

Hi quatuor modi perfectissimè locum habent in Deo. Omnia enim sunt in ipso perfectissimè & eminentissimè tamquam in causa efficiente, vt dictum est, & tamquam in causa exemplari, ratione idearum, quæ sunt viuarum notiones & similitudines rerum; per quas & secun-



secundum quas ipse omnia produxit, ut ait Dionysius De diuin. nom. cap. 5. & tamquam in *causa finali*: omnia enim sicut natura sua sunt ab ipso, ita etiam sunt propter ipsum. Vnde omnia nobis ad ipsum referenda: alioquin parum boni ex rebus ipsis percipiemus. Denique tamquam cause particulares in vniuersali. Hos modos insinuat Dionysius lib. De diuin. nom. c. 4. Εἰς αὐτῶν πᾶσα ἀρχὴ ὡς ἄρτι μὲν πηλὴ, τελικὴ, ποιητικὴ, εἰδικὴ, σοιχαδῆς, καὶ ἀπλῶς πᾶσα ἀρχὴ, πᾶσα σωωχὴ, πᾶν πέρας. In ipso, inquit, est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare, & simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus. Vbi quinque Principiorum genera in Deo contineri ostendit, ita ut ipse sit principium omnis principij, & causa omnium causarum: nec tantum res ipsas in Deo eminenter contineri, sed etiam omnia rerum principia, & omnes causas. Vnde passim vocat Deum *καρφόρον ἀρχῆς*, principium omni principio superius & eminentius. Idem significat Apostolus cum ait: *Ex ipso*, Ad Rom. 11, *per ipsum, & in ipso, & ad ipsum sunt omnia.* sic enim citat ibidem Dionysius. *Ex ipso*, designat primam & originalem causam efficientem: *per ipsum*, exemplarem: *ad ipsum*, finalem: *in ipso*, causam sustentantem omnia veluti quidam fundus & fundamentum omnium, cui omnia innixa recumbunt.

## CAPVT V.

*Modus apprehendendi infinitatem Dei.*

21 **M**AGNI interest ad fructum colligendum ex consideratione infinitatis Dei, ut quis amplo & illustri modo possit eam menti obicere, & cum rerum creaturarum angustiis conferre. Hoc ut melius fiat, considerandum est triplex interuallum infinitum inter Deum & hominem quemlibet. Primum est inter singulos homines & totum genus humanum, non solum quod aliquando existit, sed etiam quod cogitatione fingi potest. Excedit enim tota illa multitudo singulorum homines & numero & loco & estimatione infinite. quid obsecro est anima vna in tam immensa creatura?

Secundum est inter totum genus humanum & totam multitudinem creaturæ rationalis possibilem. Cum enim secundum certam DD. sententiam, Angelorum species Deo possibilem infinita ferie excurrant, idque assidue crescendo in perfectione, sicut crescunt species numerorum sine fine, & sub singulis infinita sint indi-

C uida;



uidua; quid est totum genus humanum, quod infimum locum tenet, ad illam infinities infinitam, & in infinitum perfectiorem Angelorum multitudinem? Sanè non est tanti, quanti vna arenula ad montem immensum.

Tertium est inter totam illam creaturæ possibilis infinitam con-<sup>22</sup> generiem, & Deum. Deus enim totam creaturæ possibilis præstantiam & æstimationem superat infinities infinitè. Primò, quia natura sua est infinitè excellentior. Nam tota creatura ad ipsum, est sicut imago picta ad exemplar; sicut character aquæ vel potius vacuo impressus, ad sigillum; sicut vmbra ad solem. Vnde etiamsi tota creatura possibilis simul existeret, nihilominus Deo radium sui influxus subrahente, statim in nihilum euanesceret, nec vquam eius maneret vestigium. Secundò, quia quidquid in tota illa multitudine sparsim habetur boni, id totum in Deo est collectum in simplicem vnitatem, omni impuritate & imperfectione detesta; ac proinde sine omni limitatione. Itaque cum in Deo sit absque limitatione quam habebat in creatura, erit in eo infinitè melius quàm in creatura.

Alio modo potest concipi hæc infinitudo per quamdam abstra-<sup>23</sup> ctionem. Sicut enim humana natura abstracta ab indiuiduis more Platónico apprehenditur vt quid infinitum secundum illam speciem (vt pote æquiualens infinitis indiuiduis, & infinitis communicabile) ita ipsum esse abstractum ab omnibus entibus per modum formæ, & per se subsistens apprehenditur vt infinitum absolute in genere entis; cum ipsius esse communiõ, omnia quæ sunt, rationem entis habeant. Hoc modo sæpè D. Thomas, & D. Dionysius vocant Deum, *ipsum esse*; quia est veluti forma quædam abstracta & separata ab omni ente limitato, per se subsistens, cuius communiõne & veluti attractu, omnia quæ sunt, essentialia & esse accipiunt.

S. Thom. 1.  
p. q. 3. a. 2. ad  
3. & q. 7. a. 1.  
ad 3. q. 44.  
a. 1. in corp.  
Dionys. c. 5.  
De diu. nom.  
*Quod Deus  
sit ipsum esse  
superessentia-  
le omnium.*

## CAPVT VI

*Quis fructus ex consideratione infinitatis colligatur.*

**M**ULTIPLEX fructus ex hac consideratione capi potest, sed potissimum quadruplex.

Primus est, vt summa reuerentia & humilitate cum Deo agamus, & coram ipso ambulemus. Quò enim maior Princeps, cum quo<sup>24</sup>



quo nobis loquendum vel versandum est, eò maiorem ei reuerentiam & submissionem exhibemus. Itaque cum Dei Maieſtas & excellentia per omnia sit infinita, infinita quoque reuerentia, honore, & submissione dignus est. Quæ cum à creatura præſtari nequeant, conuenit vt ſaltem præſtat ſummam quam commodè poteſt, præſertim in oratione, quando cum ipſo loquimur, & ſalutis noſtræ cauſam agimus: ſed potiffimum in ſacrificio Miſſæ, vbi infinitæ illi Maieſtati, infiniti pretij & immenſæ dignitatis Hoſtia offertur.

Porro ad reuerentiam excitandam duæ conſiderationes concurrere debent: nimirum excellentiæ alterius, & noſtræ vilitatis, comparatione facta ad alterum. Si nos ipſos conſideremus, videmus nos ex nobis nihil boni poſſe aut habere: imò nihil eſſe, nec quidquam à nobis habere præter defectum & peccatum. Itaque ex nobis nihil ſumus niſi abyſſus quædam vilitatis & miſeriæ. Si conſideremus nos quoad ea quæ accepimus à Deo; habemus quidem magna quædam bona, eſſi miſeriis, quæ ex nobis ſunt, permixta: tamen reſpectu Dei, qui ex ſe eſt bonum infinitum, infinitè ſupra omnia creata eleuatum, bona noſtra omnia ſunt inſtar nihili. Itaque duplici nomine nos humiliare debemus coram illa infinita Maieſtate, & illi ſummam reuerentiam exhibere. Primò, quia nos ex nobis nihil boni poſſumus, nihil ſumus: illa ex ſe eſt omne bonum, & infinitum bonum, & poteſt omnia. Secundò, quia omne bonum noſtrum quod ex Deo habemus, reſpectu boni quod ipſe eſt, inſtar nihili reputatur. Hac conſideratione uſus Abraham cum ait: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.* & beata Virgo in ſuo Cantico, cum ait: *Reſpexit humilitatem ancilla ſua,* ſeipſam ſummè deprimens, & Deum ſummè exaltans. Idem reuerentiæ & humilitatis affectus maximè eſt in Angelis ſanctis, & omnibus Beatis; quia Dei Maieſtatem, & ſuam quam ex ſe habent puſillitatem & *ſeruiæ* optimè norunt. Vnde Seraphim apud Iſaiam c. 6. Deo aſtantes, velant faciem & pedes præ maxima reuerentia, vt Patres interpretantur.

Genef. 18.

Dionyf. Cæleſt. Hierar. c. 13.

Chryſ. in c. 6. Iſaiæ &amp; alibi.

Athanaf. in iſt. ad Matthei 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.*

25 Secundus fructus eſt, vt Deum ſupra omnia ſinceriſſima charitate & beneuolentia amemus; quia propter ſuam infinitam excellentiam infinitè dignus eſt omni bono, omni gloria, omni laude, omni cultu, omni veneratione, omni obedientia & obſequio. Quod enim quid eſt excellentius, eò dignius vt ei tribuatur omne bonum ipſa congruens: hoc autem ſit per charitatem & beneuo-



lenciam. Hac enim volumus alicui bonum, vt ei sit quàm optimè, quia dignus est tali bono. Hæc enim est iustissima ratio, cur talis beneuolentia sit impendenda. Etsi enim possit impendi etiam indignis, tamen non debetur sicut ijs qui digni.

Quare cùm Deus sit infinitè dignus omni bono sibi congruen-

*Desiderium gloria Dei.*

te, infinita quoque ei beneuolentia & amor debetur. Ex hoc amore sequitur maximum desiderium gloriae Dei in creaturis, & promptitudo animi ad vitam suam, ad vires omnes & facultates expendendas, ad gloriam Dei maximam in creaturis procurandam, id est, vt omnes illum noscant, & infinitudinem maiestatis eius, im-

*Gaudium de bonis Dei.*

mensitatem, æternitatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, dominatum, prouidentiam, iustitiam, misericordiam, gloriam: vt ament, vt timeant, vt colant & laudent in omne æuum: in his enim gloria Dei externa consistit. Deinde ex hac beneuolentia nascitur maximum gaudium de bonis eius internis, id est, de perfectionibus iam dictis: nimirum quòd Deus noster sit tantus, tam infinitus, tam immensus, &c. Si filius tuus esset potentissimus, sapientissimus, pulcherrimus, beatissimus, non posset cor tuum capere magnitudinem gaudij & lætitiæ quam inde perciperes. Quantum ergo debes gaudere, cùm vides tuum patrem, tuum principium, tuum conditorem, quem supra omnia diligere & æstimare debes,

*Gratulatio.*

in finitis bonis circumfluere? Ex gaudio, gratulatio, qua illi tantam parenti optimo tantam maiestatem, tantam gloriam, tantas diuitias, tantam beatitudinem gratulamur, & omnem creaturam ad idem excimus & conuocamus, *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.* & quæ sequuntur. *Benedicere* creaturæ rationalis, est affectu & verbis bene precari: creaturæ irrationalis, est sua specie ad benedicendum prouocare.

*Deus super omnia desiderabilia desiderandus.*

Tertius est, vt Deum supra omnia diligamus amore vt sic dicam, concupiscentiæ, siæ vt eum super omnia desiderabilia desideremus, quia in ipso infinitè est, quidquid possumus concupiscere vt nobis bene sit. In ipso est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnes diuitiæ, omnes thesauri, omnis nobilitas, omnis sublimitas, omnis maiestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis potentia, denique vita æterna, & in hac quidquid mens potest boni concipere, & infinitè amplius.

*Amentia mundi.*

Magna igitur amentia est, in rebus creatis diuitias, gloriam, sublimitatem, gaudium, delectationem querere, cùm hæc omnia in Deo infinitè meliora consequi possimus. sicut si quis mallet vmbra-



bram & rudem picturam magni alicuius regni, quàm ipsum regnum; aut si leue breueque vnus horæ somnium felicitatis, quàm solidam & veram felicitatem, amens meritò iudicaretur. Omnis gloria & opulentia quæ in hoc mundo potest haberi, nihil aliud est quàm somnium breuissimum, vmbra vel pictura rudis, ad illam gloriam & illas opes, quas in Deo possidebimus. Vnde Psal. 72. *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* quasi dicat: Sicut cum quis expergiscitur, tota felicitatis imago, quam somniabat se habere, euanescet; ita tota felicitas & beatitudo huius sæculi in nihilum recidet post hanc vitam. tunc videbunt se velut somnio delusos, fuisse. Et Psal. 38. *Verumtamen in imagine pertransit homo.* hoc est, Sicut imago, seu vmbra, vt ex Hebræo patet. quod iisdem præne verbis Iob 14. *Fugit velut vmbra.* & Apostolus 1. Cor. 7. *Præterit enim figura mundi huius.* vbi omnem humanam felicitatem comparat vmbrae & picturae. Accedit quòd sectando ista temporalia & vmbatica, exponamus nos euidenti periculo amittendi illa solida, vera, & æterna, quod alterum summæ amentia est, argumentum. Vnde S. August. lib. 1. De serm. Domini in monte cap. 6. explicans illud: *Sed sal euauerit,* ait; *Ostendit Dominus faturos esse iudicandos, qui temporalium honorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri.* & Ecclesiastæ 1. *Stultorum infinitus est numerus.* quæ enim potest esse maiora stultitia quàm præferre terrena cælestibus, momentanea æternis, modica infinitis, vmbatica veris, inania solidis? at infiniti homines hoc faciunt. meritò ergo stulti iudicantur, & omni luce bonæ mentis destituti.

29 Quartus fructus est, vt cognoscamus seruitutem Dei esse nobilissimam, eamque rebus omnibus etiam sceptris & Imperijs anteponamus. quò enim Princeps aliquis est maior, eò nobilius est ei famulari, & obsequium præstare. Quare cum Deus infinite sit præstantior omnibus regibus terræ, infinite quoque nobilius est ei seruire quàm alicui Principi huius mundi. Imò longè præstantius & nobilius est seruire Deo, quàm esse Monarcham totius orbis: sicut nobilius est esse aulicum & familiarem potentissimi Principis, quàm esse pastorem ouium: longè præstantius est coniungi cum Deo, ab eoque recipere diuina, quàm præesse rebus humanis, & humana in homines transfundere.

*Seruitus Dei nobilissima.*

30 Consistit autem hæc seruitus in quatuor. Primò, In cognitione Dei,

*Seruitus Dei consistit in quatuor rebus.*



Dei, & eorum quæ ad ipsum pertinent. Hoc enim est fundamentum obsequij totius & famulatus. Secundò, In officiis charitatis & benevolentia, dum de bonis ipsius gaudemus, & illa ex intimo animi affectu ipsi gratulamur, dum eius gloriam promouere omni studio conamur, animam, corpus, curas & cogitationes ipsius dignitati tuendæ & amplificandæ deuouentes. Sic boni aulici suo Principi toti addicti faciunt: illius enim virtutes & potentiam vbique extollunt, vt omnes in eius amorem & obsequium alliciant, nec sustinent ipsius nomen à quoquam lædi. Tertio, In officiis religionis, dum illum colimus sacrificiis, cerimoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis. Hoc est officium Angelorum & Sanctorum in cælo, qui toti in eo sunt, vt Deum honorent, laudent, benedicant. Itaque perfecta seruitus Dei est vita æterna & beatitudo nostra. Quarto, In custodia mandatorum, & in officio virtutis, dum aliquid boni facimus, vt mandatis eius pareamus, vel vt ipsi gratificemur. Hoc autem esse maximi momenti ex eo patet, quòd minimum Dei bonum, quæ Dei est, sit plurius æstimandum, quàm bonum totius creaturæ, quæ creaturæ est. atqui omne bonum opus factum eo intuitu, vt per hoc Deo gratificemur, eiusque voluntatem impleamus, est bonum Dei, ergo plurius æstimandum quàm omne bonum creaturarum, quatenus ad ipsas creaturas pertinet. Hinc fit vt Deus pro singulis operibus bonis promittat nobis vitam æternam, atque adeò seipsum cum omnibus bonis suis; tantum nobis effectu rependens, quantum nos ei affectu boni volumus. Damus ei affectu totum bonum suum; reddit ille nobis effectu idem bonum: illius enim amor efficax, noster inefficax.

## CAPVT VII.

*Recollectio precatoria, de infinitate.*

**D**OMINE Deus meus, Deus magne & terribilis, Deus immensæ maiestatis! Tu pelagus infinitum essentia, bonitatis & beatitudinis, omne esse, & omne bonum in te concludens, & ab æterno eminenter anticipans, & præhabens, tamquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse superessentiale omnium quæ sunt, & quæ non sunt: sine quo non solum nihil potest esse actu, sed nec potestate, nec vllam habere rationem conceptibilem, vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis,



- finis, omnium conditor & formator, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium ævum, duratio, terminatio, ordinatio, 33  
 33 **connexio, concordia, consummatio.** In te omne bonum Angelorum pariter & hominum, atque totius naturæ, quæ est, & quæ non est. In te omnis gloria & dignitas, omnes diuitiæ & thesauri, omnes voluptates & consolationes, omnes deliciae, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tu Deus meus & omnia mea, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.
- 34 **Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua, & tu Deus meus plus quàm omnia.** Quid enim sunt cetera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, umbra sunt & vanitas omnes diuitiæ & deliciae, omnisque gloria huius mundi, quæ miserè oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quæ in te sunt, cognoscere & persequi valeant. Et sicut qui dormiunt, inani imagine diuitiarum, voluptatum & honorum delusi, nihil horum inveniunt cum excitantur, sed cum dolore animi vident se miserè deceptos: ita accidet omnibus huius mundi amatoribus, vitæ istius per mortem corporis discusso somno, mente in lucem alterius sæculi expergiscente.
- 35 **Nihil igitur illorum amem aut æstimem, sed te solum & bona tua, quæ in te recondita, quæ tu ipse es, quibus fruuntur æternum, qui hisce caducis contemptis, tibi inhæserint. Amem te supra omnia, & semper seruiam tibi: quia infinite melior es omnibus, & dignus, vt omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis seruitus tibi ab omni creatura in omnem æternitatem deferatur & impendatur.**